



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

De episcopo vno tantum vnus ciuitatis, & vno tantum parcho vnus villae; & de non mouendo primo, siue episcopo, siue parcho, propter alium secundum ab aliqua parte populi petitum, si primus vacat ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

ANNO CHRISTI 325  
ordinationem, siue post: & qui secus fecerit, deponatur; & quicumque contradixerit, Synodus eum excommunicat.

Nicæno  
beatus  
Greg. 16.  
q. 7. c. per-  
uenit.

*De episcopo vno tantum vnius ciuitatis, & vno tantum parocho vnius villa; & de non mouendo primo, siue episcopo, siue parocho, propter alium secundum ab aliqua parte populi petitem, si primus vacat a manifesto crimine.*

CAPVT L.

Vt non sit nisi vnus episcopus vnius ciuitatis, nec in vna ecclesiæ villa sint duo sacerdotes; & si fuerit magna, poterit sacerdos habere secum diaconos, & solus sacerdos in iis quæ ad altare pertinent, præsit; sicut solus episcopus est in ecclesia sua superior: & si in ciuitate aut villa fuerit aliqua discordia, ita vt alii hunc sacerdotem aut episcopum, alii alium velint, debet tunc populus considerare hoc iuste: & si non auditur de eo aliquod delictum manifestum, oportet relinquere eum in loco suo: sin vero infamia alicuius peccati in eo reperta fuerit, eiiciendus est, & in locum eius alter substituendus, qui sit sine crimine. Denique secundus episcopus aut sacerdos non intret in locum primi, si primus fuerit manifeste probus; siquidem copulatus est cum ecclesia, sicut constitutum est. quæ est etiam lex sæcularibus, vt nemo eorum accipiat in matrimonium per vim vxorem alterius, donec vir eius mortuus sit; dimittatque eam liberam, vt abeat quo velit. Qui huic Canoni contradixerit, Synodus eum excommunicat.

Can. Nic. 7.

Ita ipsa ratione comparationis ac similitudinis matrimonii carnalis cum spirituali vsus est Euaristus in epist. 2. Et sicut vir, inquit, non debet adulterare vxorem suam, ita nec episcopus ecclesiam suam, vt dimittat illam absque inuitabili necessitate, aut apostolica vel regulari mutatione.